



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

252. Quæ jura & commoda transeant in Resignatarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

textus juris civilis apud Paris. n. 8. sufficit hujusmodi qualitatem dignitatis vel Canonicatus adfuisse eo tempore, quo dispositio seu commissio talis sumpsit initium. Paris. nu. 9. dum cit. c. statutum. requirens, ut causæ committantur constitutis in dignitate, requirit solum adesse eam tempore commissionis; qualitas siquidem juncta verbo vel participio verbi intelligenda est secundum tempus verbi vel participii. Paris. n. 10. & sic per consequens sufficit, ut dicta qualitas semel sub vel post datam literarum existat; licet postea deficiat. Paris. n. 11. ac licet ratio dignitatis moveat ad hoc, ut causâ committatur tali constituto in illa; quia tamen non tam ratione sui movet; quàm quia præsumptionem generat majoris peritæ & honestatis in persona habente illam dignitatem, quæ præsumptio etiam, deficiente postmodum dignitate, remanet, ut Gemin. in cit. c. statutum. n. 8. ac proinde ratio illa dignitatis actu existentis non necessario militat tam respectu initii, quàm mediæ & finis seu decursus causæ. Paris. n. 14. Procedit id ipsum & multò magis, dum in commissione nomen proprium & simul dignitatis fuit expressum; sive nomen proprium præcedat, sive subsequatur, adeoque commissio videtur personalis, non realis. Paris. n. 12. citans Imol. in c. quoniam. Abbas, Beroum ibid. n. 91. qui dicat, id in puncto juris esse verius & sustentabile; & quidem, si nomen proprium præcedat, absque dubio delegationem dicendam personalem, juxta Bart. in l. communis servus. ff. de stipulat. servorum. & communem sententiam.

2. Limitanda tamen hæc sententia secunda, ita ut non procedat, si resignans talem dignitatem adsumpsisset qualitatem repugnantem, & effectus est incapax talis commissionis seu delegationis, v. g. quia contraxit matrimonium. Paris. num. 15. citans Card. & Imol. in clem. etsi quis. de rescript.

3. Porro dum ille, cui causâ delegata, moritur; delegatio transit ad successorem in dignitate, si dignitatis nomen expressum in delegatione: extinguitur verò, si in delegatione expressum, nomen proprium delegati, juxta c. quoniam Abbas. & AA. communiter in cit. c. Paris. n. 16. sic in specie, dum commissio facta vicario Episcopi expresso nomine hujus dignitatis transit ad successorem in Vicariatu. Paris. n. 17.

Questio 252. Quæ jura & commoda transeant in resignarium?

Respondeo: Præterquam quòd transeat in resignarium verus titulus, etiam si resignanti vel alteri reservata sit omnimoda administratio. Paris. l. 1. g. 16. n. 9. citans Rotam in Abulens. Canonie. 27. Novemb. 1573. transeunt quoque in eum jura omnia & commoda, quæ comperebant resignanti ratione illius beneficii. Paris. cit. quest. 16. n. 1. & 4. citans Bursi. conf. 406. num. 8. vol. 4. cum communi; cum enim resignans amiserit jus omne & possessionem juxta dicta, habeturque pro mortuo, nequit se amplius intromittere in tali beneficio. Paris. ibid. n. 2. Pari modo transeunt hæc omnia in successorem non resignarium, dum nimirum resignatio fuit simplex, & non conditionalis seu in favorem; quia urget eadem ratio. Paris. cit. g. 16. nu. 5. sic instantia cœpta per resignantem in eo statu, in quo reperitur, transit ad resignarium; cum communis sit, instantiam cœptam per prædecessorem transire in singularem successorem, juxta Bart. in l. Lucius, §. rogatus. ff. ad Trebell. Paris.

cit. g. 16. nu. 10. juncto. n. 14. & 15. Unde jam resignarius potest repetere à resignante omnia jura illius beneficii, puta, instrumenta, privilegia, concessionem, infeudationem, locationem & similia, juxta Abb. communiter receptum in c. cum pridem. de pactis n. 5. dicta namque jura inutilia penes resignantem & utilia resignatario, ad hæc spectant. Paris. g. 16. n. 11. & 12. Non tamen hinc sequitur, quòd qui habuit usufructum super aliquibus rebus, quamdiu tale beneficium vel dignitatem v. g. Abbatialem habuisset, dimissâ seu resignatâ illâ dignitate usufructus ille transeat ad successorem, sed finitur morte naturali vel civili, juxta §. finitur. institur. de usufructu. Paris. cit. g. 16. n. 62. juncto n. 66.

Questio 253. An, & quando resignarium teneatur justificare jus resignantis?

Respondeo: Nisi resignans probetur triennialis pacificus possessor immediate ante resignationem, teneri illum justificare titulum resignantis, tradit Lott. l. 3. q. 14. nu. 85. citato Cassador. decis. 2. num. 5. & 6. de causa poss. & propriet. Quòd ipsum tamen idem Lott. n. 86. sanè intelligendum ait, nimirum ubicunque opponeretur de hoc defectu tituli per legitimum contradicentem, puta, venientem ex diversa vacatione, & qui jam titulum suum justificasset; tunc enim resignarium, etiam si sit in possessione (quæ alioquin eum excusat à quacunque justificatione sui tituli, juxta reg. cogi. c. de pet. heredit. & Cassador. ubi ante num. 4.) posse compelli ad talem verificationem; nam cum actor probaverit suam intentionem plenè justificare. Ac proinde illi non sufficit præsumptio, quæ aliàs est pro possessore, ita Lott. loc. cit. nu. 87. citans Calder. conf. 10. in fine. de probat. & Rotam.

Questio 254. An, & quando resignarius probare debeat valorem resignationis?

Respondeo: Is, qui se fundat in resignatione, Rex qua jus suum deducat, seu deducens resignationem tanquam fundamentum sui juris, probare tenetur resignationem non tantum veram, sed & validam. C. Luc. de benef. d. 94. n. 11. citans Bursat. decis. 830. & 539. n. 4. recent. to. 3. Unde & resignarius seu provisor ex resignatione in hoc casu tenetur probare affirmativam factam publicationis (quia hæc publicatio spectat ad valorem resignationis) etiam de cetero, dum agitur de executione novæ impetrationis ex non facta publicatione negativa publicationis per impetrantem, utpote allegantem eam tanquam fundamentum suæ intentionis, concludenter probanda sit. C. Luca. loc. cit.

Questio 255. An resignarius teneatur stare locationi vel conductiõni factæ per resignantem?

Respondeo primò: Successor in beneficio stare tenetur locationi per antecessorem in beneficio factæ, si locatio nomine Ecclesiæ facta. Tond. in qq. benef. p. 1. c. 66. n. 1. citans Peregrin. in tr. de fideicom. 4. 40. nu. 58. Mantica. de tacti. convent. l. 5. tit. 10. n. 22. limitat. §. Anton. de Marin. l. 1. resol. c. 259. n. 18. eò quòd generalis sit regula: administratores omnes teneri ratam habere locationem factam per antecessorem. Tond. loc. cit. n. 2. ex Covar. l. 2. variat. resol. c. 15. n. 6. qui etiam